CATECHISMVS BREVIS

CHRISTIANAE DISCIplinæ ſummam continens, omnibus Ludimagiſtris authoritate REGIA commendatus.

HVIC CATECHISMO ADiuncti ſunt Articuli, de quibus in ultima Synodo Londinenſi, Anno Domini.1552.ad tollendam opinionum diſſenſionem,& conſenſum uere religionis firmandum, inter Epiſcopos & alios eruditos atq; pios uiros conuenerat:Regia ſimiliter authoritate promulgati.

TIGVRI APVD ANDREAM Geßnerum F. Anno Domini,

M. D. LIII.

EDVARDVS VI. DEI GRATIA ANGLIAE FRANciæ & Hiberniæ Rex, fidei Defensor, & in terris Ecclesiæ Anglicanæ & Hibernicę supremum Caput, omnibus ludimagistris & hijs qui scholas Grãmaticas aperiunt.

CVM breuis & explicata Catechismi ratio à pio quodam & erudito uiro conscripta, nobis ad cognoscendum offerretur, eius pertractationem & diligentem inquisitionem quibusdam Episcopis & alijs eruditis commisimus, quorum iudicium magnam apud nos authoritatem habet. Et quia cõueniens cum scripturis et Regni nostri institutis uisa est, PLACVIT, non solum eam propter cõuenientiam in aspectum lucémq; proferre, sed etiam propter perspicuitatem & breuitatem, omnibus ludorum magistris ad docendum proponere, ut rudis adhuc & inchoata ætas, religionis simul & literarum iactis fundamentis, cum sapientia pietatem discat, & regulam habeat in re-

liquo uitæ cursu, quid sentiendum de Deo sit, ad quem omnis uita nostra confertur, & quo modo accepti Deo simus, in quo omnib. actionibus & uitæ officijs elaborandum est.

Præcipimus itaq; & mandamus non modò uniuersis, sed etiam singulis, pro cautione quæ authoritatem nostram sanctam habere, & iustã uiolatæ dignitatis animaduersionem deuitare studetis, ut sedulo ac diligẽter hunc Catechismũ in scholis uestris doceatis, ut tenera adhuc & fluens ætas, & præceptorum authoritate, & uera religionis documẽtis firmata, magnas oportunitates ad uerã Dei uenerationẽ habeat, & magna subsidia etiam ad omnia uitæ officia sequenda. Quibus instructi, pietatẽ in Deum authorem omnium, obseruantiam erga Regem pastorem populi, studium in Rempublicam communem omnium matrem, melius usurpantes, non sibi solum nasci uideamur, sed Deo, Regi, patriæ utiles & officiosi sint. Datum Grenwici, 20. Maij, Anno regni nostri 7.

CATE-

CATECHISMVS

Christianæ Disciplinæ.

VT officium singulorũ est quos Christus morte sua redemerat, non modo ut serui sint ad obediẽtiam, sed etiam filij ad hæreditatem, ita scire quæ sit uera & complacita Deo uitæ uia, ut ad singula religionis interrogata respondere possint, & fidei ac professionis suæ rationem reddere.

Atq; hæc apertissima docendi ratio est, quam non modo Socrates in Philosophia, sed etiã Apolinarius in nostra religione secutus est, ut & ignorantes interrogationibus quasi punctis erudiantur, & sciente, ne amittant quæ didicerunt, commonefiant. Nos igitur utilitatis ratione habita, quam in adolescentibus instruendis sequi debemus, & breuitatis etiam, ut nihil neque redundans neq; defectum esset uniuer-

liquo uitæ cursu, quid sentiendum de Deo sit, ad quem omnis uita nostra confertur, & quo modo accepti Deo simus, in quo omnib. actionibus & uitæ officijs elaborandum est.

Præcipimus itaq; & mandamus non modò uniuersis, sed etiam singulis, pro cautione quæ authoritatem nostram sanctam habere, & iustã uiolatæ dignitatis animaduersionem deuitare studetis, ut sedulo ac diligẽter hunc Catechismũ in scholis uestris doceatis, ut tenera adhuc & fluens ætas, & præceptorum authoritate, & ueræ religionis documẽtis firmata, magnas oportunitates ad uerã Dei uenerationẽ habeat, & magna subsidia etiam ad omnia uitæ officia sequenda. Quibus instructi, pietatẽ in Deum authorem omnium, obseruantiam erga Regem pastorem populi, studium in Rempublicam communem omnium matrem, melius usurpantes, non sibi solum nasci uideantur, sed Deo, Regi, patriæ utiles & officiosi sint. Datum Grenwici, 20. Maij, Anno regni nostri, 7.

CATE-

CATECHISMVS
Christianæ Disciplinæ.

VT officium singulorũ est quos Christus morte sua redemerat, non modo ut serui sint ad obediẽtiam, sed etiam filij ad hæreditatem, ita scire quæ sit uera & complacita Deo uitæ uia, ut ad singula religionis interrogata respondere possint, & fidei ac professionis suæ rationem reddere.

Atq; hæc apertissima docendi ratio est, quam non modo Socrates in Philosophia, sed etiã Apolinarius in nostra religione secutus est, ut & ignorantes interrogationibus quasi punctis erudiantur, & sciente, ne amittant quæ didicerunt, commonefiant. Nos igitur utilitatis ratione habita, quam in adolescentibus instruendis sequi debemus, & breuitatis etiam, ut nihil neque redundans neq; defectum esset uniuer-

ſæ ſcholę noſtrę ſummam in dialogum cõiecimus, ut tota res magis perſpicua eſſet, & minus digreſsionibus euagaremur. Itaque ad hunc modum Magiſter Auditorem ſuum aggreditur.

M. A.

QVandoquidem officij mei magnam partem eſſe uideo, Chariſſime fili, non tam ut bonis literis inſtitutus ſis, curare, quam etiam atq; etiã de genere religionis quodcunq; in tenera iſta ętate colas, ſedulo & diligẽter perquirere, conſentaneũ putaui, quæſtiunculis quibuſdam tecum agere, ut certo ſciam, num recte an ſecus in ea re operam poſueris. Age igitur, dic mihi (mi fili) quęnam ea ſit religio quã profiteris?

A. Eam, præceptor uenerande, religionem profiteor, quæ eſt Chriſti Domini, quæq; Actorum undecimo, Chriſtiana nominata eſt. M. Agnoſcis igit̃ te

Vt cognominatũ: tur primũ Antiochiæ diſcipuli Chriſtiani.

Chri

Christianæ pietatis & religionis culto rẽ, ac Christi Domini nostri discipulũ?

A. Id equidem agnosco, atq; ingenue et libere profiteor, quin et uniuersę gloriæ meæ summam in hoc pono, tanquã in re quæ & honoratior sit, quam ut ad eã ingenij mei tenuitas aspirare, & diuinior etiam quam ut orationis ulla facultate à me facile exprimi queat.

M. Dic proinde mihi, charissime fili, quã accurate poteris, religionis Christianæ summam quibúsnam in rebus positam esse arbitraris?

Aud. In duabus, nempe uera in Deũ fide ac certa persuasione concepta de rebus illis omnibus quæ sacris literis continentur, & charitate quæ cum in Deum, tum im proximũ nostrũ tendit. *Summa christianæ religionis.*

M. Fides illa quæ ex uerbi auditu & lectione concepta est, quid docet te de Deo? *De fide.*

A. Illud inprimis docet, in mundo esse certam naturam, unam substantiã, unum animum, & mentem diuinã, aut

potius ſpiritum æternum, abſq; principio & fine, quem uocamus Deum, quem oportet uniuerſos mundi populos colere ſummo honore, ac p̃cipuo genere adorationis. Ex diuinis etiam illis oraculis quę p̃ prophetas & amicos Dei Opt. Max. in ſanctis libris ad ſempiternam nominis eius gloriam diuulgãtur, legem diſco & comminationes: deinde promiſsiones & euangelium Dei. Hæc per Moſen & alios uiros Dei conſcripta, ad noſtram uſque ætatem integra conſeruata ſunt & illæſa. Deinde præcipua capita noſtræ fidei redacta fuerũt in breuiſsimum compendium, quod uulgo Symbolum Apoſtolicum appellatur.

M. Fidei compendium, cur Symbolum nominarunt?

Symboli A. Symbolum ſi interpreteris eſt ſignum, nota, teſſera, aut inditium quo commilitones ab hoſtibus diноſcuntur: unde Compẽdium fidei, quo Chriſtiani à non chriſtianis diſtinguũtur, re

&è

cte ſymboli nomen ſortitum eſt.

M. De lege primum quid ſentias, aliqua dicas. Deinde etiam de Symbolo.

A. Faciam quod iubes, præceptor ue- De lege.
uerande, idq; libentiſsime. Dominus Deus per Moſen nobis præcepit, ne ullum prorſus, præter illum, hoc eſt, ut illum ſolum habeamus Deum unicum creatorem & liberatorem noſtrũ: Ne ueneremur aut colamus ſimulacrum aliquod, aut imaginem quancunq;, ſiue depicta ea ſit, ſiue cęlata aut ſculpta, ſiue ratione quauis alia formata. Ne ſumamus nomẽ domini Dei noſtri in uanum, in re ſcilcet aut leui aut falſa. Poſtremo, fixum illud & religioſum perpetuo tenere debemus, ut Sabbathi diem, quæ ad quietem & cultum diuinũ ſegregat, ſancte & religioſe colamus.

Mag. Rectè. Recitatę enim iam ſunt â te mihi leges primæ tabulæ, qua cognitio Dei & cultus eius ſummatim cõprehenditur. Iam dic mihi quæ ſint charitatis & dilectionis noſtræ officia erga homines?

Aud. Interrogas, mi præceptor, quid de altera parte legis Dei sentiam, quæ uulgo Secunda Tabula uocatur?

M. Hoc ipsum plane est (mi fili) de quo audire cupio.

Aud. Paucis rem omnem pro ingenij mei tenuitate expediã. Moses eam breui epitome concluſit, nimirum ut omni ſtudio patrem & matrem honoremus atq; obſeruemus, Ne ullum hominem occidamus, Ne adulterium cõmittamus, Ne furtum ullum faciamus, Ne falſi teſtes ſimus contra quenquã. Poſtremo, ne rem ullam deſideremus proximi.

M. Præceptum illud de patris & matris honore quomodo intelligendum eſt?

Expositio 4. præcepti. A. Honor parentum, amorem, timorem, & reuerẽtiam complectitur. Nec non uerſatur in obediendo, ſubuenien do, defendẽdo, ac etiã in fouẽdo, ſi neceſsitas incumbat. Nos quoq; aſtringit ut Magiſtratui ſummopere obtemperemus

remus, & maxima cum pietate, tum miniſtros Eccleſiæ, tum præceptores & omnes maiores obſeruemus.

Mag. Quid autem continetur in præcepto illo, Ne occidas? 5

A. Ne odio proſequamur, ne iniuria afficiamus quenqam, opprobriáue iaciamus. Ac præterea iubet ut etiam inimicos amemus, atq; illis benefaciamus qui nos odio proſequuntur, utq; hoſtibus noſtris proſpera quæq; atq; felicia precemur.

M. Præceptum aũt de non cõmittendo adulterio, quid tandem continere tibi uidetur? 6

A. Hoc quidẽ præceptũ multa cõtinet, prohibet enim nõ ſolũ ne alloquamur impudice alienã uxorẽ, aut mulierem quancunq;, néue petulãter cõtrectemus, ſed ne reſpiciamus quidẽ, ſeu libidinoſo aſpectu intueamur, nec quo cũq; modo inhoneſto ambiamus eã ipſi nos, nec nomine noſtro alij. & denique omne genus obſcenæ uagæq; libidinis interdicitur.

M. Quid autem tibi uidetur de præcepto non furandi?

7 Au. Pari compendio dicam, si libet audire, quo antea usus sum. Præcipit autem ne cuipiam imponamus: ne commertia exerceamus illicita, ne suas opes cuiquam inuideamus, néue rem quancunq; putemus utilem, quæ aut iusta non sit, aut ab æquo & bono aliena. Breuiter, potius quod tuum est ut perdas, quàm ut rapias aliena, & in tuū uertas commodum.

M. Quomodo illud obseruabitur de falso testimonio non dicendo?

8 A. Si mēdacia aut falsa aut uana, nec loquamur ipsi, nec in alijs uel loquendo uel tacendo, uel etiam præsentia nostra approbemus, sed semper ueritatē tueri debemus, quotiescūq; aut locus aut tempus id postulat.

M. Vltimum iam præceptum relinquitur, de rem proximi non concupiscendo, quódnam tandem illud est?

9 & 10. A. Hæc lex in uniuersum omnis generis

neris malas cupiditates prohibet, ac uoluntatis noſtræ appetitiontm omnẽ inſatiabilem, quæ infra rectæ rationis limites ſe non cõtinet, refrenare atq; moderari nos iubet: uultq; ut quiſq; ſit ſua ſorte contentus. Quiſquis autem plus iuſto appetit cum detrimento proximi & alterius iniuria, is charitatis atq; humanæ ſocietatis uinculum rumpit & plane diſſoluit, ac niſi reſipiſcat, acriter de eo ſumet ſupplicium dominus Deus, legis ſuæ uiolatæ uindex ſeueriſſimus. Qui autem ex harum legum præſcripto uixerit, & laudem & felicitatẽ, ac ipſum etiam Deum propitium & benignum inueniet.

M. Iam uideo te decalogum breuiter explicuiſſe: deinceps uerò dicito mihi, quomodo Chriſtus hæc omnia iam p partes à te explicata paucis eſt complexus? uniuerſam uim legis in ſumma nobis proponens?

A. Vis ut omnia ſimul compendio connectam, quæ tum ad Deum tum ad homines pertinent?

M. Maxime.

A. Christus in hunc loquitur modũ: Diliges dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua, & ex totis uirib. tuis, & hoc maximũ est præceptum in lege. Alterum autẽ est huic simile: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Ex duobus hisce mandatis, pendent tota Lex & Prophetæ.

M. Iam porro uolo ut mihi dicas quę nam res sit lex illa quam narras: illáne quam nos uocamus Legem naturæ, an etiam præter eam altera?

A. Id olim omne abs te didicisse memini præceptor, nẽpe naturę humanæ à Deo insitã eam fuisse cum integra adhuc esset & incorrupta, post peccatũ uerò, tametsi sapientes utcunq; eam naturæ lucem non ignorarint, attamẽ hominum partem maximam ita iam latebat, ut uix eius umbram sentirent.

M. Vnde fit ut Deus eam uelit in tabulis describi, utq; uni peculiariter populo assignaretur?

A. Di

A. Dicam. Imago Dei in homine per peccatum originis & consuetudinem malam, adeò in initio obscurata est, & iudicium naturale adeò uitiatum, ut homo ipse non satis intelligat, honestũ turpi quid interſit, nec iustum iniusto. Eam itaq; imaginem uolens benignus Deus in nobis renouare per legem in tabulis descriptam, effecit primum ut nosipsos agnosceremus, & in ea perinde atque in speculo contueremur sordes & maculas nostri animi, & præfractam cordis uitiati duritiem, ut uel sic tandẽ peccato agnito, & perspecta nostræ carnis infirmitate, atq; ira sæuientis in nos Dei ob peccatũ, ardẽtius desideraremus seruatorẽ nostrũ Christũ Iesum, qui morte sua & preciosa sanguinis sui aspersione purgauit, & abluit peccata nostra, placauit irã omnipotẽtis patris, atq; sacrosãcto sui spiritus afflatu, animos in nobis creat nouos, mẽtes q; renouat ad imaginẽ et similitudinẽ sui creatoris, in iustitia & sanctitate

ueritatis, quam rem nec iuſtitia legis, nec ulla ſacrificia Moſaica poterãt effi cere. Quod autem nullus ex lege iuſtificetur, patet nõ inde ſolum, quoniam Iuſtus ex fide uiuit, ſed hinc etiã, quod nullus uiuit mortalium, qui poſsit ea omnia præſtare quæ decalogus iubet. Impedimenta enim quæ legi aduerſantur, ſunt infirmitas carnis, appetitus prauus, & concupiſcentia ingenita. Quod autẽ ad ſacrificia attinet, quod ad purgationes, ad abluitiones, & reliquas cæremonias legis, umbræ erant, typi, imagines & figuræ ueri & æterni ſacrificij Ieſu Chriſti in cruce facti, cuius ſolius beneficio omnia omniũ credentium peccata, ab ipſo uſq; mundi exordio, ex ſola miſericordia Dei, non autem ex ullis meritis noſtris, condonata ſunt.

M. Adhuc non audio unde factũ ſit, ut uni duntaxat populo (nimirũ Iſraelitico) uelit Deus optimus maximus arcanã animi ſui uoluntatem ſignificare.

A. Illud

Decalogus non tantum pop: Israel. sed uobis traditus.

A. Illud propemodum mihi excide-
rat: puto autem nó perinde factum es-
se, quasi decalogus non ad omnes ho-
mines pertinuerit, cum Dominus De-
us noster non solum sit Deus Iudæorũ,
sed etiam & Gentium. At potius dicen
dum est ut agnosceretur uerus Messias
qui est Christus noster cum ueniret in
mundum, quem ex gente ista & non
ex altera, ob promissionis ueritatem,
oportuit nasci. Ob quam causam uo-
luit Deus populum aliquem certum,
sanctum, & separatum, tanquã sibi pe-
culiarem & proprium describere, ut ni
mirũ sancta, pura & illæsa sua oracula
& uerba perpetuò conseruarentur.

De Symbolo.

M. Abunde hactenus mihi satisfactũ
est, chare fili, iam ad Christianam con
fessionem ueniamus, quam mihi uo-
lo ut clare recenseas.

A. Faciam. Credo in Deum Patrem
omnipotentem, Creatorem cœli & ter
ræ. Et in Iesum Christum filium eius uni
cum Dominum nostrum. Qui conce-

ptus est de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Descēdit ad inferna. Tertio die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Credo in spiritum sanctum. Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionē. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem. Etuitam æternam.

M. Ista à te generaliter & strictim ꝓpo sita sunt, mi fili, quocirca operæpretiū est, ut q̄ dicta sunt ꝑ partes amplifices, quo de singulis q̄d credas, clare intelligā: ac primo loco de cognitione Dei, post autem de eius cultu audire cupio.

Au. Sequar libens uolūtatem tuam, charissime præceptor, quoad ingenij mei tenuitas patiatur: sic itaq; rem omnem accipe. Ante omnia firmiter credendum tenendumq; est, Deum patrē Opt. Max. initio & ex nihilo creasse & fabricasse

fabricasse uniuersam hanc mundi machinam, & res omnes quæcunq; in ea continentur, eaq; omnia facta esse per potentiam uerbi sui, id est, Iesu Christi filij Dei, quod scripturarũ testimonio satis est comprobatum: ubi autem creaturas omnes sic fabricasset, eas deinceps rexisse, gubernasse, conseruasse, atque ex bonitate & munifica manu sua quæcunque ad uitam nostram tuendã conseruandamq; necessaria requiruntur, exhibuisse, atq; etiamnum exhibere largissime, ut nimirum perinde illis uteremur, ac memores & pios filios decet.

M. Cur autem Deum uocas patrem?

A. Eius rei duę sunt causę, Vna, quod nos omnes initio creauit, quodq; uitã omnibus est largitus: Altera uerò maioris est momenti, quod uidelicet per spiritum suum sanctum, & per fidem spiritualiter secundo genuerit, adoptando nos in filios, donando itidem regno suo, & uitæ æternæ hæreditate cũ

Iesu Christo filio suo, & uero & naturali.

Mag. Cum igitur res alias omnes Deus homini ut inseruirent, condiderit, hominem autem ad obsequium, honorem & gloriam ipsius propriam, quid habes quod dicas de prima eius origine & creatione?

A. Id quod scripsit Moses, Deum scilicet ex argilla primum hominem finxisse, illiq; animam ac uitam indidisse, atq; deinde sopore in Adam immisso, detractam ex eo mulierem, in lucem produxisse, ut eam & uitę & fortunarũ omnium illi sociã adiungeret. Ac propterea homo Adam uocatus est, quia ex terra traxit originem: mulier autem, quia omnium uiuentium mater erat futura, appellabatur Eua.

Mag. Imago autem illa ad cuius similitudinem hominem ais formatum, quænam est?

Au. Ea est absolutissima iustitia & perfectissima sanctimonia, quæ ad ipsam

Dei naturam quã maximè pertinet,& in Chriſto nouo noſtro Adamo præclariſsime eſt demonſtrata,cuius in nobis quædam quaſi ſcintillæ adhuc uix relucent.

M.Itane?Vix relucent?

Au.Recte quidem, nam non iam ſic ſplendent ut in initio ante hominis lapſum: quandoquidem homo ob peccatorum tenebras & caliginem errorum,imaginis huius ſplendorem reſtinxit. Sic iratus peccati reum ultus eſt Deus.

Mag. At cur id factũ ſit dicas, uolo.

A.Dicam.Cum mundi huius fabricam creaſſet Dominus Deus, hortum idem ipſe plantauit oblectationis & iucunditatis pleniſsimum, in loco quodam uerſus orientem ſito,eumq; nominauit Eden,in quo prẹter arbores alias longe pulcherrimas, una fuit inprimis non ita procul ab horti illius medio, cuius nomen Arbor uitæ, & altera Arbor cognitionis boni & mali. Hic Do-

minus Deus singulari amore ductus, posuit hominem, hortumq; illi tradidit curandum, & colédum, liberum ei faciés, ut de fructu omnium arborum Paradisi manducaret, excepto eo, qué Arbor scientiæ boni & mali produxisset: huius arboris fructum si quãdo deguſtaret, citra omnem controuersiam mortis ſubiret ſupplicium. Eua autem à diabolo, ſerpentis imitante formam, eluſa, fructum alioqui uetitũ, ob aſpectus iucunditatem deſyderandum, ob manducãdi uoluptatem appetẽdum, ob boni & mali ſcientiam uehementer iucundum, decerpſit, edit, ac dedit marito, ut ipſe eundẽ ederet, quo factũ eſt, ut ſtatim uterq; mortui ſint, hoc eſt, nó tantũ morti corporis obnoxij fuerint, uerum animi quoq; uitam amiſerint, quæ eſt iuſtitia, & protinus diuina in illis imago offuſcata eſt, ac lineamenta illa iuſtitiæ, ſanctitatis, ueritatis & cognitionis Dei, longe pulcherrima, cõfuſa ſunt & pene deleta, reliqua uerò fuit imago

imago terrena, cũ iniuſtitia coniuncta, fraude, affectione carnali, & de rebus diuinis ac cœleſtibus ignoratio ſumma, inde autem nata eſt carnis noſtræ infirmitas, inde iſta corruptio & confuſio affectionũ & cupiditatum omniũ: hinc illa peſtis, hinc illud ſeminarium & nutrimẽtum peccatorum omnium, quo genus humanum inficitur, & Peccatum originis appellatur. Porro ſic natura corrupta eſt & deiecta, ut niſi bonitas & miſericordia omnipotentis Dei nobis tuliſſet opem per medicinam gratiæ, quemadmodum corpore in uniuerſas mortis miſerias detrudimur, ſic neceſſarium fuiſſet, ut omnes omnium generum homines in æterna ſupplicia, & ignem qui extingui non poteſt, conijcerentur.

M. O hominum ingratudiné. At quatandem ſpe primi noſtri parentes freti, & deinceps reliqui leuati ſunt.

Au. Iam Dominus Deus & Adamum & Euam, cum uerbis tum factis

castigasset (dehorto enim deturbauit utrosq; cũ opprobrio grauissimo) maledixit serpenti, minatus illi tempus olim fore, quo mulieris semen caput illi imminueret: postea uerò Dominus Deus promissionem hanc magnificam & benignissimã confirmauit. Primum, fœdere per circumcisionem cum Abrahamo inito, & in Isaac eius filio: deinde etiam per Mosen: postremo autem per clarissimorum prophetarum oracula.

M. Quid autem sibi uult serpentis caput, ac semen illud de quo loquitur Deus?

A. In serpentis capite uenenum eius continetur, ac uitæ & uirtutis summa, quo fit ut mihi caput serpentis uniuersam potentiam & regnum, aut (ut uerius loquar) tyrannidem Diaboli serpentis antiqui referat: semẽ uerò illud est (uti clarissime nos docet Paulus) Iesus Christus filius Dei, uerus Deus, & uerus homo, conceptus de spiritu sancto &

cto, & generatus ex beatæ, purę, inuiolatæq; Mariæ uirginis utero & substantia, ac de ea sic natus & enutritus est, ut reliq; infantes, nisi quod ab omnis peccati contagione esset alienissimus.

M. Fundamenta quæ à te iacta sunt omnino uerissima sunt: iam autem ad eas actiones progrediamur, in quibus & salus & uictoria nostra contra serpẽtem illum antiquum sita est.

A. Faciam, charissime præceptor. Postquam Christus Iesus Apostolis suis doctrinam hanc lætissimam, & modis omnibus diuinam, quæ Græco uocabulo εὐαγγέλιον nominatur, demandasset, ac postquam signis & miraculis innumeris, quibus tota eius uita fuit refertissima, idẽ obsignasset, uerberib. tãdẽ acriter cæsus, & uultu obuelato, & uerbis illusus, & sputo in faciẽ immisso, tandẽ manibus ac pedibus clauorũ impulsu perforatis, in crucẽ actus est. Deinde uerè mortuus est, & uerè sepultus, ut iratum humano generi patrem

ſuauiſsimo ſacrificio placaret atq; mor te ſua eum ſibi ſubijceret, qui mortis te nebat imperiũ, hoc eſt diabolũ. quandoquidem nó uiui ſolũ ſed mortui etiam, ſiue in inferno fuerint, ſiue in alio quocunque loco, mortis illius potentiam & uim ſenſerunt. Quibus in carcere exiſtentibus (ut inquit Petrus) Chriſtus licet corpore mortificatus, ſpiritu tamen uiuificatus, prædicauit. Tertio die poſt reſurrexit etiam corpore uiuus, & multis teſtimonijs præclariſsimis, quadragintadierum ſpatio inter diſcipulos uerſatus eſt, edens ac bibens cum illis: in quorum conſpectu nube obductus, in cœlum ferebatur, aut potius ſupra omnes cœlos, ubi ſedet hodie ad patris dextram, factus Dominus omnium, ſiue quæ in cœlo ſunt, ſiue quæ in terra: Rex regum omnium, Pontifex noſter & æternus & unicus, unicus aduocatus, unicus mediator, & unicus reconciliator Dei & hominum. Quoniam autem intrauit in gloriam

riam Maiestatis suæ, demisso ad nos (uti promisit) sancto suo spiritu, cęcitatis nostræ tenebras illustrat, mentes nostras mouet, regit, docet, purgat, solatur ac iuuat, sic usque facturus, quoad mundi fabrica dissoluetur.

M. Video te præcipua religionis nostræ capita breuiter attigisse, ac ueluti in compẽdiolo explicasse Symbolum modo à te recitatũ. Iam igit uolo de certis capitibus quædam à te percontari.

Au. Fac quod libet, mi præceptor, nam in his quę minus intelligam, tu me poteris accuratius instituere: quæ autem exciderunt, in memoriam reuocare, aut etiam quæ parum fideliter inhæserint, altius imprimere.

M. Dic porro mihi. si per mortem suam ueniã consequimur peccatorum, an nó ea satis erat, nisi etiam à mortuis resurgeret?

Audi. Non erat satis si uel eius uel nostri rationem habeas. Nisi enim resurrexisset, minime putaretur filius

Dei: quo factum est, ut illud sibi dum in cruce penderet, ab his qui uiderant, ex probraretur. Dicebant enim: Alios seruauit, seipsum non potest seruare: Descendat nunc de cruce, & credemus ei. Iam autem resurgens à mortuis ad uitę perennitatem, diuinitatis suæ potentiã monstrauit maiorem, quam si descendendo de cruce mortis terrores refugisset. Mori quidẽ omnibus est cõmune, at mortis uincula resoluere, & uirtute ppria resurgere, id unigeniti Iesu Christi filij Dei, authoris uitę unici prium est. Deinde etiam necessarium fuit ut resurgeret cum gloria, ut Dauidis & aliorum prophetarum Dei implerentur oracula: qui prædixerunt fore, ut nec corpus eius uideret corruptionem, nec anima apud inferos relinqueretur. Quod autem ad nos attinet, nec fuissemus iustificati, nec resurrectionis nobis spes aliqua fuisset reliqua, nisi resurrexisset. ut multis in locis Paulus clarissime demonstrat. Si enim reman-

remansisset in claustris mortis, in sepultura, & corruptione, ut reliqui homines, concluſus, quomodo speraſſemus saluté per illum, qui seipſum nó seruauerit? Fuit igitur consentaneum, & ad eam personam quam sustinebat necessarium, & summum salutis nostræ adiumentum, ut primum Christus seipſum à morte liberaret, post autem ut nos nostræ salutis per resurrectionem suam faceret certiores.

M. Attigisti iam, mi fili, principem causam resurrectionis Christi, nunc de Ascensione eius in cœlos quid cẽseas libet audire. Quomodo illis respondendũ putas, qui dicunt satius fuisse ut hic in terris maneret nobiscũ, ut scilicet gubernaret ac regeret nos ꝓsens, siquidé præter alias causas credibile est, amoré populi erga suum principem, bonum presertim & benignum, per præsentiã ipsius fieri auctiorem.

Au. Res quas faceret præsens, id est, si coram nobiscum uersaretur, eas omnes

nes absens facit, regit, tuetur, corrobo rat, defendit, corripit, punit, corrigit, & reliqua omnia facit quæ talem decét principem, aut etiam Deum ipsum: omnia inquam, siue uæ ad necessitatem, siue ad utilitatem, siue ad honorem & commodum nostrum spectét. Adhæc autem Christus non sic, ut multi arbitrantur, huic mundo absens est: Nam tametsi corporea illius moles hinc à nobis sublata sit, est tamen diuinitas eius nobiscum perpetuo præsens, etiam si oculorum istorum aspectui non sit subiecta. Res quæ incorporeæ sunt, corporis organo non possunt apprehendi: Quis unquam suam ipsius animam uiderit? nullus, At quid nobis præsentius? quid cuique propinquius anima sua? Quæ spiritualia sunt, non uidentur nisi oculo spiritus. Christi igitur diuinitatem qui in terris uidere uult, aperiat oculos, non corporis sed animi, sed fidei, & uidebit præsentem, quem oculus non uidit.

dit. Videbit præſentem & in medio eorum, ubicunq; ſint duo uel tres congregati in nomine eius: uidebit præſentem nobiſcum uſq; ad conſummationem ſæculi. Quid dixi? Chriſtũ uidebit præſentem? Imo & uidebit & ſentiet in ſeipſo inhabitãtem, haud aliter ac animũ ſuum propriũ: habitat enim ac reſidet in animo ac corde eius, qui ſuam omnẽ collocat in eo fiduciam.

M. Optime. At noſtra confeſsio eſt in cœlos eum cõſcendiſſe, illud igitur dic quomodo intelligendum ſit.

Au. Vulgo de eo dici ſolet, qui celſum aliquem gradum aut dignitatem obtinuerit, quod aſcẽdit & promouetur in altum locum, altam ſedẽ aut gradum, quia mutauit cõditionem, quód que iam reliquis ſit honoratior. Sic porro Chriſtus aſcendit, quemadmodum prius deſcendebat: deſcendebat autem à ſumma gloria ad ſummã ignominiã, nempe ignominiam ſerui & crucis: atq; ita poſtea aſcendebat â ſumma

ignominia ad ſummã gloriam, & eam nimirum quam habuit prius: & aſcenſus eius in cœlũ, imò ſupra omnes cœlos, ad thronum uſque Dei. Ratione iuſtiſsima cõſtare debet, ut ſcilicet ad humilitatis & ignominiæ proportionem gloria & maieſtas reſponderent: hoc ſcribens ad Philippẽſes, docet nos Paulus, Factus eſt obediens uſq; ad mortẽ, mortem autem crucis. propter quod & Deus illum in ſummam extulit ſublimitatem, & dedit illi nomen quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium terreſtrium & infernorũ. Tametſi autẽ cœlos iam conſcenderit, diuina tamen natura ac ſpiritu ſemper in Eccleſia præſens erit uſque ad orbis diſſolutionem. Inde tamen non efficitur, ut nobis corpore ſit præſens, cum alia diuinitatis eius ratio ſit, & humanitatis alia. Hæc enim eſt creata, illa increata, hæc in aliquo cœli loco, illa autem ſic ubiq; eſt, ut cœlum & terram impleat. Id autem

ũt ſimi-

ut similitudine fiat illustrius, Nulla res Christū uerius adumbrat sole, est enim imago lucis ac splendoris Christi propria. Sol cœlum semper occupat, eundem tamen dicimus mundo præsentē. Nam absq; lumine nihil unquam cuiquam præsens est, id est, non uidetur. implet enim sol lumine suo res omnes. Sic Christus supra omnes cœlos eleuatur, ut sit præsens omnibus, utq; Paulo teste, impleret omnia. Quod autem ad corpoream Christi hic in terris præsentiam attinet (si magna paruis cōponere licet) sic Christi corpus præsens est nostræ fidei, ut sol cum cernatur præsens est oculo, cuius corpus tametsi corporaliter oculum non contingat, atq; hic in terris præsens præsenti adsit, tamen corpus solis præsens est uisui, etiam reluctante interualli distantia. Sic Christi corpus, quod in glorioſa eius ascensione nobis sublatum est, quodq; reliquit mundum & ad Patrem abijt, ore nostro abest, etiam cum sacrosan-

Similitudo de sole & eius adumbratione

ctum corporis & sanguinis eius sacramentum ore nostro excipimus, fides tamen nostra uersatur in cœlis, ac intuetur solem illum iustitiæ, ac præsens præsenti in cœlis haud aliter illi adest, ac uisus adest corpori solis in cœlis, aut sol in terris uisui. Quemadmodum autem sol lumine suo adest rebus omnibus, sic etiam & Christus diuinitate sua: nō tamen potest lumen solis ab eius corpore separari, neque porro diuinitas Christi ab eius immortali corpore. Sic ergo Christi corpus adserendum est in uno cœli loco, & diuinitas eius ubiq; ut nec de eius diuinitate corpus faciamus, nec de illius corpore Deum.

Mag. Video, mi fili, te neutiquam ignarum, quomodo rectè dicatur Christus corpore absens, & spiritu præsens. Porro hoc unum à te scire uolo, curita Christus Dominus noster oculorum nostrorū aspectui subtrahitur, atq; ex ascensione eius in cœlū quid capimus commodi?

Au.

Au. Illius rei præcipua causa fuit, ut ea à nobis falsa tolleretur opinio quæ aliquando Apost. ipsos tenuit: quod scilicet Christus in terris nobis conspicuus regnaret, haud aliter ac reliqui Reges ac Satrapę mundi. hunc in nobis errorem uoluit extinctum, ac de regno suo magis sublimia cogitare: quæ res propterea ei potior uisa est, quia magis ad nostrum commodum & utilitatem spectabat, ut regnum aliquod erigeretur, cuius fundamenta in fide nostra iacerentur. Quapropter necessarium fuit, ut nobis ab omni sensu corporeo subtraheretur, ut ea ratione fides nostra & excitata, & exercitata sit, ad intuendum moderationem & prouidentiam eius, qui corporeis non cernitur oculis. Cum autem sit rex nó alicuius regionis unius uerum etiam & cœli & terræ, uiuorum pariter & mortuorum, consultissimum fuit, ut clam sensibus nostris regnum suum administraret: si enim oculorum sensibus

ſubijceretur, oportuit eum nũc in cœ-
lum erigi, nunc in terram deprimi: nũc
in hanc regionem, nunc in aliam mi-
grare, atq; ita ut princeps quiſpiam te
renus, huc atq; illuc negotiorum uarie
tate trahebatur. Non enim poterat om
nibus unà adeſſe præſens, niſi corpus il
lius ſic abiret in diuinitatem, ut ubiq;
aut in quam plurimis locis ſimul eſſet,
quod Eutyches & conſimiles eius hæ-
retici, ſenſerunt. Si uerò in eodem mo-
mento temporis ubiq; omnibus præ-
ſens adeſſet, iam nõ eſſet homo, ſed ſpe
ctrum, neq; corpus habuiſſet uerum,
ſed imaginarium: Ex qua re mille con-
tinuo naſcerẽtur errores, quos omnes,
corpore integro in cœlum euecto, ſu-
ſtulit: Regnum interim & Rempubli-
cam ſuam, id eſt Eccleſiam cum ſum-
ma ſapientia & uirtute adminiſtrat, i-
pſe inconſpicuus. Hominum eſt huma
na quadam ratione reſpub. ſuas mode
rari, Chriſti autẽ & Dei, diuina. Quic-
quid autem à me hactenus dictum eſt,
medio-

mediocrem duntaxat particulam eius utilitatis continet, quam à subuecto in cœlum Christi corpore capimus. Sunt enim plura quæ dici possunt, ex quib. fructus colligitur amplissimus. Ante omnia autem non potest taceri hoc, tã ta & tam ampla esse beneficia, quæ nobis à morte, resurrectione, & ascensione Christi adferuntur, ut nulla lingua aut hominum, aut etiam angelorum queat exprimere. Atq; meam ut in hac re sciẽtiam experiaris, de præcipuis dicam, ad quæ tãquam ad capita reliqua omnia referas. Dico igitur cum ab his, tum etiam ab alijs Christi actionibus duas ad nos commoditates prouenire, unam quod quæcunq; fecerit, ea omnia in nostram utilitatem & commodũ fecerit, adeò ut perinde nostra sint, modo eisdẽ firma uiuaq; fide inhæserimus, ac si nos fecissemus ipsi. Ipse quidẽ cruci suffixus est, et nos cũ ipso crucifixi sumus, & nostra in eo peccata sunt punita. Ipse mortuus est & sepul-

tus, nos itidem una cum peccatis nostris mortui sumus & sepulti, idq; ita ut omnis peccatorum nostrorum memoria penitus deleatur. Ipse resurrexit, & nos cum eo resurreximus, nimirum & resurrectionis & uitæ eius sic facti participes, ut nobis deinceps mors amplius nō dominetur: est enim idem in nobis spiritus qui suscitauit ille sum à mortuis. Postremò, ut ille conscendit cœlestem gloriam, & nos cum eo subleuati sumus: ut demus ista non apparere, tamen tum demum hæc omnia proferentur in lucem, cum Christus qui est lux mundi, ostendet se in gloria sua, in quo felicitates nostræ omnes sunt reconditæ. Ad hæc autem ab ascensione eius in cœlum, concessa nobis sunt sancti spiritus dona, uti Paulus testatur abunde Ephæs. quarto. Altera commoditas quam ex Christi actionibus percipimus, est quod Christus nobis in exemplum proponitur, ad quod uitam nostram omnē formemus. Christus

stus si mortuus sit, si sepultus, pro peccato, id fecit semel: si resurrexerit, si in cœlum ascenderit, semel tantũ resurrexit, semel tantum ascendit, iam non amplius moritur, sed uiuit cum Deo, & regnat in summa gloriæ æternitate. Sic si simus nos mortui, si sepulti peccato, quomodo posthac uiuemus in eodem? Si resurrexerimus cum Christo, si per spem firmam in cœlo cum eo uersemur, cœlestes res & diuinæ, non terrenæ & caducæ nobis erunt curæ. Et quemadmodum terreni hominis hactenus gestauimus imaginẽ, cœlestis deinceps imaginem gestemus: utq; nunquam destitit Christus Dominus nobis benefacere, et spiritum suum sanctum nobis largiendo, & Ecclesiam suam tot præclaris donis ornando, ac patrem perpetuo præcando pro nobis, par nos ratio excitare debet, ut proximum omni studio iuuemus, & charitatis uinculum, quãtum in nobis est, tueamur: utq; Christum Dominum ac

ſaluatorem honoremus: non equidem impijs traditionibus & frigidis hominum inuentis, ſed cultu cœleſti, & reuera ſpirituali, qui & nos qui demus, & illum qui accipiat, deceat maxime, haud aliter atq; ille & honorauit, & honorat patrem: qui enim honore illum afficit, honorat & patrem, cuius rei ille ipſe teſtis eſt locupletiſsimus.

M. Finem mundi ſcriptura ſacra cen ſummationem & perfectionem regni ac myſterij Chriſti, & renouationem rerum omnium appellat. Sic loquitur Apoſtolus Petrus. 2. Pet. 3. Nos cœlos nouos & terram nouam expectamus iuxta promiſsionem Dei, in quibus iuſtitia inhabitat. uidetur autem rationi cõſentaneum, ut corruptio, mutabilitas, & peccatum (quibus ſubijcitur totus mundus) aliquando ceſſent. Qua uerò tandem uia, aut quibus circumſtantiarum rationibus iſta fient, cupio abs te audire.

Au. Dicam ut poſſum eodem Apoſtolo

stolo teste, Cœli procellæ in moré transibunt, elementa æstuantia soluentur, terraq́, & quæ in ea sunt opera exurentur, quasi diceret, Mundus (uti in auro fieri uidemus) totus igne repurgabitur, atq; ad ultimam suam perfectioné reducetur, quem minor ille mundus, nimirum homo, imitatus, à corruptione itidem & mutatione liberabitur. Itaq; hominis causa, in cuius gratiá maior hic mundus creabatur primum, renouatus tandem, faciem induet multo cum iucundiorem, tum pulchriorem.

M. Deinde autem quid superest? &

Au. Vltimum & generale iudicium: ue nietnáq; Christus, ad cuius uocé mortui omnes resurgent, & anima & corpore integri, quo in throno maiestatis suæ residente uidebit totus mundus: post excussionem autem conscientiæ cuiusq́, extrema sententia pronunciabitur. Tunc temporis filij Dei perfecte possidebunt regnum illud immortalitatis & æternæ uitæ, quod illis

præparatum fuit ante iacta fundamẽta mundi, & regnabunt cum Christo in ęternũ. Impij uerò qui non crediderũt, abijcientur in ignem æternum, destinatum diabolo, & angelis eius.

M. Abunde dictum est à te de resurrectione mortuorũ. Iam de Ecclesia sancta supereſt ut dicas: de qua quid sentias nimis uellem audire.

A. Dicam ea paucis quæ scripturæ sacræ fuse explicãt & copiose. Antequã cœlũ & terrã creasset Dominus Deus, Regnum quoddam sibi pulcherrimũ, & Remp. sanctissimã habere decreuit, eã Apostoli & Maiores nostri qui græce scripserunt, ἐκκλησίαν appellauerũt, in hanc adscripsit infinitam hominum multitudinem, qui omnes regi uni & supremo & unico suo capiti subderentur, hunc nos uocamus Christũ, quod perinde est acsi unctũ dixeris. Solebant enim pontifices & reges in populo Iudaico exꝑcepto diuino in sua inauguratione, oleo quodã materiali perfundi,

perfundi, qui Christum Dominũ ſpiritu ſuo ſancto inunctum figurabãt. Ad hanc Remp. conſtituendã proprie pertinẽt, quotquot uere timent, honorãt, & inuocant Deũ, prorſus applicantes animos ad ſancte pieq; uiuendũ, & qui cunq; omnẽ ſpem & fiduciã in eo collocantes, uitæ æternæ beatitudinẽ certiſsime expectant. Qui autẽ ſunt in hac fide firmi, erãt ante electi, prædeſtinati, & ad uitã æternã deſignati quàm mundus eſſet cõditus, atq; huius rei teſtem habent in corde intrinſecus ſpiritum Chriſti, illorum fidei authorem, arrã, & minime fallax pignus, quæ fides ſola myſteriorũ diuinorum capax eſt, ſola cordi pacem adfert, ſola appræhendit iuſtitiam quæ eſt in Chriſto Ieſu.

M. Itane ſpiritus ſolus & fides, etiãſi dormiamus aut aliter ſupini & otioſi ſteterimus, omnia in noſtrã gratiam ſic faciẽt, ut ſine ulla ope noſtra in cœlum etiam otioſos deportent.

Audit. Soleo, mi præceptor (doctus

id à te) inter cauſas & effectus diſcrimen ponere. Prima, præcipua & perfectiſsima cauſa noſtræ iuſtificationis & ſalutis eſt bonitas & amor Dei, quo ille nos in numerum ſuorum electos ante aſcripſit quàm mundum condiderat, Poſt nobis datur, ut prædicatione Euangelij Ieſu Chriſti uocemur, quorũ infundit pectorib. ſpiritus domini, cuius ductu et auſpicijs trahimur, ut firmam in Deo fiduciam collocemus, et promiſsionum eius omnium euẽtum ſperemus. Eiuſdem electionis comes eſt mortificatio ueteris hominis, id eſt, appetitus & concupiſcentiæ noſtræ. Illius etiam eſt ſanctificatio noſtra, amor Dei et proximi, iuſticia et incẽtia uitæ, atque ut ſummatim dicam, quicquid purum, ſyncerum, uerum & bonum in nobis exiſtit, aut à nobis fieri poteſt, id totum à radice iſta ſuauiſsima, ab iſto fonte largiſsimo, bonitate, amore, electione, & propoſito Dei ſanctiſsimo naſcitur. Ille eſt cauſa, reliqua

ſunt

sunt effectus. Sunt tamen bonitas Dei, & electio, & spiritus, & ipse Christus causæ inter se coniunctæ & colligatæ, quæ inter salutis nostræ principes causas possunt numerari. Quoties igitur dici solet, Sola nos fide iustificari & seruari, ita dictum est, quia fides, aut potius fiducia sola apprehendit, intelligit, & cognoscit nostram iustificationem nobis à Deo gratis dari, hoc est nullis nostris meritis, sed ex gratuita gratia omnipotentis patris. Porro fides amorem gignit proximi, & actiones quæ Deo placent. Nam si uiua & uera sit & spiritu sancto animata: mater est eorũ omnium quæcunq; bene aut dicuntur aut fiunt. Ex hoc breui orationis compendio clarũ est, unde iustificatio nostra, & quibus modis paretur: non enim meritorum nostrorũ dignitate uel hactenus electi, uel olim saluati erimus, sed per solam misericordiam Dei et Christi Domini meram gratiam, per quam ad bona opera præparauit Deus, ut in eis

ambularemus, in ipso códiti sumus. Et licet opera bona nostrã iustificationé apud Deum mereri non possunt, sic tamen fidei adhærét, ut neq; illa sine ipsis inueniri possit, neq; bona opera extra fidem usquam reperiantur.

M. Breuis hæc tractatio de fide & operibus uehementer mihi placet, eadé enim clarissime docet Paulus. Potes ne adhuc mihi describere Ecclesiã quã dicis Remp. aut communitatẽ Christianam, & eam sic mihi ob oculos ponere ut ab alia quauis hominũ sotietate distincte & diserte discernatur?

Aud. Experiar quomodo quam optime id possim præstare. Tu uismi præceptor, si recte intelligo, ut certam aliquam tibi, & quæ uideri possit, definiã Ecclesiam.

M. Hoc ipsum uolo, atq; ut facias erit ualde commodum.

A. Ea ecclesia nó est aliud, quam certa quædam multitudo hominum, qui in quocunq; loco sint, puram & syncerã

ram profitentur doctrinam Christi, idq; ea forma, qua ab Euangelistis & Apostolis in testamento sancto Christi fideliter prodita est: quiq; in omnibus gubernantur & reguntur legibus & statutis sui Regis & Pontificis Christi, in uinculo charitatis, & præterea utuntur eius mysterijs, quæ communi uocabulo Sacramenta appellantur, eadem puritate & simplicitate (quod ad ipsorum naturam atque substantiam attinet) qua usi sunt, & nobis in scriptis reliquerũt Apostoli Christi. Sunt igitur huius Ecclesiæ notę, primum pura prædicatio Euangelij: deinde dilectio fraterna, è qua, ut ex eiusdem corporis membris, mutua beneuolẽtia nascitur. Tertio, syncera & pura obseruatio sacramentorum Domini iuxta institutum Euangelij. Postremo, correctio fraterna, & eorum excommunicatio qui uitã nolũt rectius instituere. Hanc notam sancti patres Disciplinam appellauerũt. Hæc illa est Ecclesia quæ

est fundata in firma petra Iesu Christo, atq; in eius fiducia: hęc illa est Ecclesia, quam Paulus uocat columnam & firmamentum ueritatis, ad hanc claues pertinent quibus cœlum & clauditur & recluditur: id enim fit per ministerium uerbi, quo potestas ligandi soluendiq;, retinendi ac remittendi peccata proprie spectat. Quo fit, ut quisquis Euangelio in hac ecclesia prædicato crediderit saluus fiat: qui uerò non crediderit, condemnetur.

M. Hic libet audire quid de spiritu sancto credas.

Audit. Illum tertiam personam sanctissimæ Trinitatis esse confiteor, & cum patri atq; filio sit æqualis, ac eiusdem prorsus naturæ, unà cum utroq; adorandum.

M. Cur sanctus appellatur?

Au. Non tantum ob suam ipsius sanctitatē, sed quod per eum electi Dei & mēbra Christi sancta efficiantur. Quare diuinæ litteræ illum Spiritum sanctificationis

ficationis uocarunt.

M. Quibus in rebus hanc sanctificationem constituis?

Au. Primum quidem eius instinctu regeneramur, & idcirco dixit Christus, oportere nos aqua & spiritu renasci. Eius deinde afflatu in filios Dei adoptamur, unde non immerito Spiritus adoptionis est dictus. Eius luce illustrãtur ad intelligenda Dei mysteria: Eius iudicio condonantur ac retinentur peccata: Eius ui reprimitur & domatur Caro cum suis cupiditatibus. Eius arbitrio multiplicia dona sanctis distribuũtur: Eius denique opera corpora nostra mortalia reuiuiscent: proinde in tantorum donorum authorem nó immerito credimus, eumq; colimus & inuocamus.

M. Quæ de spiritu sancto retulisti, satis esse arbitror. Sed id ex te audire uelim, cur statim adiũgitur nos credere Sanctam Catholicam Ecclesiam, & sanctorum communionem?

Au. Duo hæc ut semper credidi, ap-

positissime cónectuntur, quoniam societates & corpora cæterorum hominum, cum artibus tum rationibus procedunt atq; gubernantur: At ecclesia, quę cœtus est uocatorum ad æternam salutem, à spiritu sancto, cuius iam mentionem fecimus, & collecta est & regitur, quod cum neq; sensu neq; luce naturę intelligatur, iure meritoq; inter ea quæ creduntur, hoc loco positum est. & catholica, id est uniuersalis, ideo appellatur fideliũ collectio, quia speciali cuipiã loco non est alligata: Deus enim per uniuersos fines orbis habet sui cultores, qui licet diuersitate regionũ & prouinciarum sint dissecti, eiusdem tamẽ corporis, cuius caput Christus est, membra sunt inuicem quàm coniunctissima, communionemq; spiritus, fidei, sacramentorum, precum, remissionis peccatorum, & cœlestis felicitatis habent, atque dilectionis uinculo sic inter ea comparatum est, ut in nullam rem magis incumbãt, quam ut sese mutuo

tuo iuuent, & in Christo uicissim ædificent.

Mag. Cum iam dictum sit de cognitione Dei & de membris eius, libet etiã aliquid audire quid sit cultus Dei.

Aud. Imprimis considerandum est, rectam & ueram cognitionem Dei esse cultus Dei præcipuum, & unicum fundamentum, cognitionem timor fouet ac tuetur, quem sacræ literæ initium sapientiæ appellauerunt: fides autem & spes fulcra sunt & stabilimenta, quibus alia omnia prius à nobis commemorata, innituntur. Porrò charitas quam dilectionem uocamus, est uinculi instar perpetui, cuius arctitudine uirtutes reliquę omnes unitę, fiunt auctiores. Et hæ sunt partes cultus Dei interioris, id est animi.

M. Quid habes quod de sabbatho dicas, aut de die festo, cuius inter leges primæ tabulæ feciſti mentionem?

Au. Sabbathum, si interpreteris, requié significat, ad cultũ & obsequium

Dei solúmodo institutum. Est autem eius quietis & trãquillitatis typus, quã qui in Christum credunt, obtinent. Nã fiducia quam habemus in Christo, liberat animos nostros ab omni seruili timore legis, peccati, mortis & inferni, certiores interim nos faciẽs, quòd per illum placeamus Deo, quodq; nos filios & hæredes regni sui constituerit, unde pax in corde & uera trãquillitas animi nascitur, quæ res gustus quidam est quietis illius felicissimæ, quam in regno Dei sumus habituri. Quæ uerò in die Sabbathi geruntur, ut ceremoniæ & exercitiã in cultu Dei, huius fiduciæ & quietis signa sunt & testimonia. Et Christi fideles æquum est diebus, qui ad sacra sunt destinati, pphanis operibus longe semotis, religioni & cultui Dei sedulo uacare.

M. Quænam sunt cultus illius exterioris (quem in certis quibusdam exercitijs positum aiebas) partes? et illius etiam interioris indicia?

A. Pri-

A. Primo, docere & audire doctrinã Euangelij, deinde Cæremoniarum & sacramentorum syncerus & proprius usus: Poctremo, precationes ad Deum per Christum & nomine Christi factæ, quæ quidem spiritum sanctum impetrãt, omnis ueri cultus & religionis synceræ authorem certissimum.

Magi. Die mihi quid tu uocas sacramenta?

Au. Sunt certæ solennes actiones, & cæremoniæ à Christo institutæ, ut per eas beneficiorum suorum erga nos admoneret, et nos uicissim professionem ederemus, quod ex illorum simus numero, qui talium beneficiorum sunt participes, & qui in illo fiduciam omnem collocãt, quodq; nos non pudet nominis Christiani, aut appellationis Discipulorum Christi.

M. Sacramenta illa duo, Baptismus, et quę â Paulo uocatur Cœna Domini, die mihi quomodo ministrantur?

A. Qui in Christum credit & religio

nis christiani articulos profitetur, & uult baptizari, (de adultis iam loquor, nam paruulis parentum aut ecclesiæ professio sufficere potest) hunc minister pura & simplici aqua intingit aut lauat in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, & precationibus commendat eum Deo, cuius Ecclesiæ iam palã adiungitur, ut gratiam suam illi largiatur, qua suæ professioni respondeat.

Magist. Cœnæ uerò dominicæ quis est usus?

A. Is nimirũ qui ab ipso Domino nostro Iesu Christo fuit institutus. Qui, ut diuus inqt Paulus, ea nocte qua tradebatur, accepit panẽ: & postquã gratias egisset, fregit, ac dixit: Hoc meũ est corpus, quod pro uobis frangitur: hoc facite in mei commemorationem. Ad eũdem modum & poculum, peracta cœna, eis dedit, dicens: Hoc poculum nouum testamentũ est in meo sanguine; hoc facite quotiescũq; biberitis in mei commemorationẽ. Hæc erat forma & ratio

ratio cœnæ Domini, quã tenere & obseruare debemus, quo memoria tãti beneficij passionis & mortis Christi conseruetur, ut ille ueniat et faciat nos post huius sæculi finem suæ mensæ assidere.

M. Quam rem nobis repræsentat, & ob oculos ponit Baptismus?

A. Nos esse per spiritum Christi renatos & mundatos à peccato, quodq; simus mẽbra & partes ecclesiæ ascripti in communionem sanctorum: Aqua enim significat spiritum. Baptismus etiã est figura sepulturæ nostræ in Christo, quodq; cum illo unà resuscitabimur in noua uita, ut superius tractauimus, in resurrectione Christi.

M. Quam rem significat & demonstrat nobis cœna, quam celebramus in memoriam Domini?

Aud. Cœna (sicuti paulo ante à nobis explicatur) est grata quædam memoria mortis Christi, cum panis repræsentet corpus eius, ad crucifigendum pro nobis traditi, uinũ autem ponatur

uice & loco sanguinis abunde pro nobis fusi. Ac quemadmodum pane & uino uita nostra naturalis sustinetur ac nutritur, sic corpore, id est carne & sanguine Christi, anima per fidē nutritur & uegetatur ad uitam cœlestem & spiritualem.

M. Quomodo ista fiunt?

A. Ista quidem fiunt occulta quadā ratione & energia spiritus, quando credimus Christum corpus & sanguinem suum pro nobis semel tradidisse in sacrificium & gratissimam uictimam patri cœlesti, & dū confitemur atq; agnoscimus illum pro unico saluatore, Pontifice, mediatore & redēptore nostro, cui debetur omnis honor & gloria.

Ma. Recte rem hanc omnem intelligis. Id uideris uelle dictum, fidem esse os animæ, quo cibum hunc plane diuinum & salutis iuxta & immortalitatis plenum, & spiritus sancti opera communicatum, recipimus. Iam cum de sacramētis tractatum sit, ad reliqua

cultus

cultus Dei membra transeas.

A. Faciam quod iubes. Ad diuini cultus perfectionẽ duo adhuc supersunt. Primum, dominus noster Iesus Christus uoluit Doctores & Euangelistas, id est, cócionatores Euangelij esse, ut scilicet uox eius perpetuo in Ecclesia sua resonaret. Qui Christiani nomine censeri cupit (id quod omnes cupere deberent) dubitationem habere non potest, oportere eum cum summo studio, & desiderio longe ardẽtissimo operam nauare, ut uerbum Domini & audiat & imbibat, nó tanquam uerbũ hominis cuiusdã, sed ueluti (ut reuera est) uerbum omnipotentis Dei. Deinde uerò, quoniam omne quod bonum est, quodq; ab homine Christiano appeti debet, nobis adsit â Deo, atq; ab eo conceditur, propterea ab eo rem omnem petere debemus, atq; per gratiarũ actionem omnia illi accepta referre: quæres adeô illi placet, ut sacrificij præclari loco ducat, quemadmodum pro

phetarũ & Apoſtolorum teſtimonio eſt clariſsimum.

M. Tú ne habes formam aliquã precandi certam & propriam?

A. Maxime. Nempe illam ipſam quã Dominus noſter diſcipulos ſuos docuit, & ſimul cũ illis reliquos Chriſtianos omnes. Qui aliquando rogatus ut doceret eos formam orandi, hanc eos edocuit. Quãdo oratis (inquit) dicite:

PAter noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum.
Adueniat regnum tuum.
Fiat uoluntas tua ſicut in cœlo & in terra.
Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.
Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.
Et ne nos inducas in tentationem,
Sed libera nos à malo: quia tuũ eſt regnũ, potẽtia, & gloria in ſecula, Amen.

M. Arbitraris ne licere ut alia precãdi forma utamur?

A. Ta-

A. Tametsi breui hoc compendio, quæ christiano cuiuis expetenda sunt, abunde contineantur, nó tamen in eas Christus nos hac precatione redegit angustias, ut alijs aut uerbis aut orandi formis uti non liceat. Proposuit autem in hac oratione certa quædam & præcipua capita, ad quæ precationes nostræ omnes referantur. Petat autē quisque à Deo iuxta præsentis necessitatis rationē, Quicquid petieris patrē in nomine meo, dicit Christus, dabit uobis.

Magist. Postquam autem in ea oratione nihil sit aut ambiguum aut extra propositum, libet audire quid de ea sentias.

A. Sentio quod uerba pre se ferunt.

Mag. Nihil igitur hic tibi retrusum aut reconditum, nihil difficile intellectu uidetur?

A. Nihil, siquidem ne Christus quidem ipse uoluit ut in ea quicquam esset aut obscurū, aut procul à captu nostro remotum, præsertim cū ad omnes

ex æquo pertineat, ac tam doctis quã rudibus in prim fit necessaria

M. Proinde expone mihi paucis partes seorsim singulas.

A. Cum dicam: Pater noster qui es in cœlis, id mecum cogito, fieri nó posse quin me audiat, quin precationes meæ illi placeãt: sum enim illi filius (licet inutilis & minime obsequens) & ille contra mihi est benignus Pater, ad ignoscendũ & condonandũ paratissimus.

M. Cur autem in cœlo eum dicis? est ne in aliquo cœli certo & definito loco? Quid est quod de se ipso dicit, Ego Cœlum & terram impleo: & Cœlum mihi sedes est, terra autem subsellium pedum meorum.

A. De hac re superius quædam, quibus ista adiungere libet: Principio, quoties à nobis dicit (qui es in cœlis) perinde est ac si dicas cœlestis & diuinus. Nam de cœlesti nostro patre cogitatio nostra sublimior esse debet, quàm quæ est de terreno. Et in cœlis etiam ob id esse

esse dicitur, quod in sublimi atq; cœlesti regione Dei, præclara & admiranda opera se illustrius & magnificentius declarant, atq; is iam in æterna & plena felicitate esse demóstratur, cum nos adhuc in terris misere atque calamitose à patria exulemus. Deinde quemadmodum cœlum immensa capacitatis suæ amplitudine omnem locum amplectitur, circundat terram, circundat maria, nec locus aliquis est, qui à cœli capacitate queat abscondi, quoniam omni temporis momento rebus omnibus præsens est. Sic ex eo licet intelligere, Deum omni in loco reb. omnibus adesse, uidet, audit, moderatur res omnes ipse existens spiritus ab omni mortali & terrena códitione remotissimus. Cuius rei testis est Hieremias propheta: An nó Deus de propinquo ego? (dicit Dominus) & non Deus de longinquo? Num abscondet se quisquam in latebras, ut eum uidere nequeam? Hæc oratio est ualde efficax, qua timor nobis

incutiatur, ne tam late regnantem Dominum offendamus; quaque adducimur ut certo credamus eum auditurū nos, si quando necessitas incumbat: est enim & semper & in omni loco præsens. Hoc igit iacto fundamēto, & tam suaui & lucido ingressu prefixo, sequitur precationis dominicæ prima pars, in qua petimus, ut non solum nos, sed quicunq; etiā sunt alij, nomē eius sancte honoremus, reuereamur, adoremus.

M. Quomodo hoc fit?

A. Dicam. Tum demum hoc fit, cum omissis illis omnibus qui nomen deorum sortiuntur, siue in cœlo, siue in terra, siue in templis uarijs figuris & imaginibus adorent, solum hunc nostrū patrem agnoscamus, & precemur uerum Deum & filium eius Iesum Christum quem ipse misit, & eum solum cum uitæ integritate, & innocētia, puris & infucatis precibus solicitemus.

Magist. Recte quidem dixisti, Perge quæso.

A. Se-

A. Secundo loco petimus, ut adueniat regnum eius, Adhuc enim non uidemus res omnes Christo subiectas, nó uidemus ut lapis de monte abscissus sit sine opere humano, qui contriuit & in nihilum redegit statuam descriptam à Daniele, ut petra sola, qui est Christus, occupet & obtineat totius mundi imperium à patre concessum. Adhuc nó est occisus antichristus, quo fit ut nos desideremus & precemur ut id tádem aliquando cótingat & impleatur, utq; solus Christus regnet cum suis sanctis, secundum diuinas promissiones, utq; uiuat & dominetur in múdo, iuxta sancti Euangelij decreta, non autem iuxta traditiones & leges hominum, & uolú tatem Tyrannorum mundi.

M. Faxit Deus, ut regnum eius adueniat quam citissimè.

Aud. Porrò cum filiorum sit, ut ad patrum uoluntatem uitam instituant, non autem è contra, ut patres ad filiorú uolútates se deflectát (quando qui-

dem uoluntas noſtra plerunq; affectio
num titillatione, & cupiditatum motu
trahitur ad eas res peragendas, quę om
nino Deo diſplicent) rationi conſenta
neum eſt, ut è cœleſtis patris nutu toti
pendeamus, utq; diuino illius imperio
nos penitus ſubijciamus. quam hanc
ob cauſam precamur, ut nos omnes
mortales non aliter illius mandatis ſi-
mus audientes, quàm ſol & luna & re-
liquæ ſtellæ cœleſtes, quæ cum ſtatis
motibus et perenni agitatione, tum in-
defeſſis terram radijs illuſtrando per-
petuo diuinam uoluntatem exequun-
tur: aut ueluti cœleſtes Angeli & cæte-
ri diuini ſpiritus, illi per omnia obtem-
peremus, qui omnẽ dant operam ad di
uina iuſſa ſedulo adimplenda. Deinde
petere nos docet à cœleſti Patre panẽ
noſtrum: quo ſignificat nõ cibum mo-
do, uerum etiam res alias omnes ad ui-
tam tuendam conſeruandamq; neceſ-
ſarias, ut Deum ſolũ intelligamus eſſe
authorem rerum omnium, qui efficit
& ut

& ut creſcãt, & ut abundent terræ pro uentus. Quamobrem par eſt, ut eum ſolum precibus compellemus, qui (iuxta Dauidis oraculum) omnia & paſcit & tuetur.

M. Sunt qui hunc locum intelligant de pane cuius meminit Chriſtus, Ioan. ſexto, id eſt, de uera cognitione & guſtu Chriſti, pro nobis nati & mortui, quo fidelis anima paſcitur. In cauſa autem cur ſic intelligant, eſt Græcũ quod hic legitur uocabulum ἐπιούσιον, qua uoce uolunt exprimere ſupernaturalẽ, ſpiritualem, cœleſtem & diuinum. Hunc ſenſum non reijcio, poteſt enim utraq; interpretatio huic loco apte accómodari. Sed Panẽ cur uocat quotidianum (quod etiã per uocẽ ἐπιούσιον, ſignificat?

A. Panem ſane quotidianũ petimus, qui nobis perpetuò adſit & comitetur aſsidue, ut finem & modum ſitienti deſyderio, & gulæ inſatiabili imponeret, ne alioqui eſſemus (ut Chriſtus loquitur) in craſtinum ſolliciti, quoniã cra-

ſtinus dies curam habebit ſuiipſius: ad ueniet enim non ſine ſuo incommodo & ſollicitudine. quare rationi conſentaneum non eſt, ut dies unus malum alterius aggrauet, ſatis namq; erit id quotidie petere, quod pater noſter beniguiſsimus paratus eſt quotidie impartiri. Sequitur quinta petitio, qua patrem precamur, ut nobis dimittat debita & delicta quę commiſimus. Hęc certe petitio eſt uehemẽter neceſſaria, cum nemo uiuat mortalium immunis à peccato. Hic igitur fiducia omnis noſtri abiiciẽda eſt, hic criſtæ dimittẽdæ, hic precandus eſt pater noſter clemẽtiſsimus, ut in gratiam & amorem Ieſu Chriſti filij ſui & chariſsimi & obſequentiſsimi innumeras nobis offenſas condonet, remittat ac de libro penitus deleat. Memores autem nos hic interim eſſe decet pacti nobis cum deo initi, ſiquidem petimus, ut Deus ita nobis remittat peccata noſtra, ut hijs qui nos offenderint, ipſi remittimus: proinde neceſſa-

ceſſarium eſt ut ignoſcamus, ut remitta mus omnibus offenſas omnes, cuiuſcũ que aut generis ſint aut conditionis. Si remiſerimus hominibus errata ſua, remittet nobis pater noſter cœleſtis erra ta noſtra.

M. Si hæc ita fierent, mi fili, non tot lites, non tot contẽtiones, non aut tot aut tam graues diſcordiæ, inimicitiæ, atq; odia inter homines hodie graſſarẽ tur, nunc autem dum quiſq; ſic ſibi pla cet, ut ne tantillũ de ſuo iure uelit diſce dere, ſiue de honore loquaris, ſiue de opibus, ſiue de re alia quauis: non raro ſolet uſu uenire, ut & opes & honores, & uitã ipſam una amittant, nec non fa uorem diuinũ & æternam gloriam á ſe prorſus repellãt atq; auertant. Te autẽ, mi fili, nec fugere debet præceptũ Chri ſti, neq; quod docet Paulus ne ſinas te uinci à malo, id eſt ne ſinas te aliorum offenſa eò adduci, ut malũ malo repen das, imo uince bono malum, nẽpe be nefaciendo illi, qui tibi male fecit, atq;

cum

eum benigne tractando, qui hostem se tibi præbuerit etiam acerbissimũ. Perge porro ad sextam petitionem.

A. Pergam ut iubes libẽter. Quandoquidem igitur debiles & infirmi, & mille periculis, mille tentationibus expositi, ad succumbendum faciles, ad cedẽdum parati, occasionibus quibusuis etiam leuissimis, uel hominibus malitia instructis, uel cõcupiscentiæ & appetitioni proprię, uel tandem serpenti astuto & malitioso, id est diabolo, oramus Patrẽ ne nos in tales difficultates aut periculum adducat, néue in ipso discrimine deserat, quin si eò uentum sit, ut prius nos de imminenti malo & diaboli machinis (authoris & principis omnis mali) eripiat, quam prorsus in exitium præcipitemur. Habes iam paucis uenerande præceptor, nisi quid intern arrandum exciderit, quæ à te mihi sunt tradita.

M. Quia tuum est regnum, potẽtia, & gloria in sæcula, Amen.

Cur

Cur iſta periodo uoluit Chriſtus noſtras preces abſolui?

A. Partim ut certam noſtram fiduciã teſtaremur obtinẽdi omnia ea quæ antea poſtulauimus. Nihil enim eſt quod is dare uel nó poſsit, uel nolit ſi ex fide rogetur, qui cuncta regit & gubernat, qui omnia poteſt, quiq; infinita gloria eſt ornatus. Hæc ubi de Deo patre noſtro cómemoramus, nullus in animo dubitationi relinquit amplius locus, qua ſuſpicemur nos repulſam eſſe paſſuros: Partim nobis ipſis oſtendimus ita dicendo, quàm ſit conſentaneum ab uno Deo petere, cum nullus citra eum tam illuſtri gloria fulgeat, adeò late regnet, atq; tantarum ſit uirium, ut uel ei obſtare poſsit, quin pro ſua uoluntate largiat quæcũq; decreuerit, ueliam nobis ab ipſo donata, ualeat auferre. Nullumq; malũ noſtrum uſq; adeò magnũ eſt, quod eius incredibili ui, gloria, & ſapientia, non ſit à nobis propulſandũ.

M. Probo breuem hanc tuã qualem-

cunque declarationem, mi fili, nec uidetur omissum quicquam quod dictu oportuit. Interim tamen hoc unum addere libet: Summa & præcipua res quę in precatione requiritur, est ut extra omnem dubitationem firmiter credamus, Deum patrem nostrum id quod petimus daturum, modo nec sit inutile nobis qui accipiamus, nec indignũ illo qui det: nam qui non est certus sed dubius, non putet se quicquam â Deo impetraturum, iuxta Iacobi sententiã. Iam uideo, chare fili, quam diligenter & studiose applicaris animũ ad ea quæ à me tibi proposita sunt, quamq; pie & sancte de uerò Dei cultu, deq; mutuis in proximum officijs cogites. Superest ut deinceps uitam sic instituas tuam, ne cognitio hæc plane cœlestis & diuina, in te torpeat, ac perinde iaceat atq; in carnis tumulo inanimis & mortua: Imo fac ut totus pijs hijsce studijs continenter ac sedulo incumbas, & uiues non in hac solum præsenti uita, uerùm

rùm etiam in futura, quæ multo quam hæc præsens & melior est & beatior: habet enim pietas promissionem non in hac uita solum, sed etiam in futura, iuxta sententiam Pauli. Operępretium igitur est, ut pietatem sedulò sectemur, quæ uiá plane nobis ad cœlũ aperit, si modo eò aspirare uelimus. Pietatis autem primum officium est (quod à te q̃ optime iam est explicatum) cognoscere Deum solum, & solum eum appetere ut summum bonũ, timere ut dominum, amare & uenerari ut patrem, una cũ filio eius seruatore nostro Iesu Christo. Hic ille est qui nos & genuit & regenerauit: hic demum ille est qui principio dedit & uitam & animam, qui tuet, qui saluat, q uitæ nos beat æternitate. Huic pietati prorsus contraria est impietas, superstitio uerò et hypocrisis imitantur quidẽ eam & præseferũt, quũ longissime tamẽ ab omni pietate discrepẽt: atq; ideo ut pestis & uenena animę et salutis nostrę hostes immanis

simos, euitare debemus: proximum uero pietatis officium, hominem quemuis, ueluti fratrẽ diligere. Nam si Deus nos omnes in initio creauerit, si nos pascat & regat, si denique habitationis nostræ in immensa hac mundi fabrica causa sit & parens, nõ potest Fratris nomẽ non aptissime nobis cõuenire, adeoque tanto arctiori inuicem uinculo erimus colligati, quãto propius ad Christum accedamus, qui est frater noster, primogenitus & natu maximus, quẽ qui nõ nouit, qui nõ tenet, reuera iniustus est, & in populo Dei locũ non habet. Ille enim radix & fundamentum est omnis æquitatis & iustitiæ, & mentib. nostris naturales quasdam præceptiones instillauit, Faci dem inquit alteri quod tibi uis fieri: caue igitur ne quicquam illi facias, quod non libenter ipse patiaris. Semper ex proprio ingenio atque sensu metire alienum. Si pati iniuriam durum & graue sit, si quod tibi facit alius iniquum uideatur, transfer idem iuditium

tium in perſonam proximi quod in te ſentis, & uidebis te nó minus iniqueſa cere ſi noceas alteri, quàm alij faciũt q̃ tibi nocuerint: ſi hic pedẽ fortiter figeremus, ſi huc omni ſtudio niteremur, ipſum teneremus innocentiæ faſtigiũ. Siquidẽ gradus primus eſt nulli offenſionẽ præbere: proximus, cũctos quátum in nobis eſt, iuuare, id ſi minus poterimus, ſaltem omnibus bene uelle & precari. Tertius, qui horum omnium ſummus & perfectiſsimus habetur, eſt etiã inimicis benefacere, qui nos iniurijs afficiunt. Cognoſcamus igitur noſmetipſos, tollamus quæ in nobis ſunt uitia, atq; in eorum loco uirtutes plantemus, non aliter quam Agricolæ, qui primum, ſpinas, tribulos, ac uitioſas herbas ex agris ſuis incultis & neglectis auferre & penitus eradicare ſolẽt: deinde uerò bona & frugifera ſemina undiq; diſpergunt, & terræ uiſceribus inijciũt, quę tẽpore bonas fruges producant: eundem in modum & nos aga

mus: Imprimis enim operam demus, ut prauas & uitioſas cupiditates tollamus penitus ê mẽtibus noſtris, poſtea autem mores ſanctos & Chriſtianis pectoribus dignos, inſeramus. Qui ſi rore uerbi diuini ſpargantur & fœcundentur, ſiq; calore foueantur ſpiritus cœleſtis, fructum haud dubie proferent uberrimum, immortalitatis & beatæ uitæ, quàm Deus per Chriſtũ electis ſuis ante iacta fundamẽta mundi prę-parauit. Cui ſit omnis honor & gloria, Amen.

Catechiſmi finis.

ARTICVLI DE QVIBVS IN SYnodo Londinensi Anno Dom. M. D. LII. ad tollendam opinionum dissensionem, & consensum ueræ religionis firmandum, inter Episcopos & alios eruditos uiros conuenerat: REGIA authoritate in lucem editi.

De fide in Sacrosanctam Trinitatem.

VNus est uiuus & uerus Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, impassibilis, immensæ potētiæ, sapientiæ, ac bonitatis, creator & conseruator omnium, tum uisibilium tum inuisibilium. Et in unitate huius diuinę naturæ tres sunt personæ, eiusdē essentiæ, potētię, ac ęternitatis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Verbum Dei, uerum hominem esse factum.

Filius qui est uerbum patris, in utero beatæ Virginis, ex illius substantia naturam humanam assumpsit, ita ut duæ naturæ, diuina & humana, integre atq; perfecte in unitate personę fuerint inseparabiliter coniunctæ, ex quibus est unus Christus, uerus Deus & uerus homo, qui uere passus est, crucifixus, mortuus & sepultus, ut patrem nobis recóciliaret, essetq; hostia non tantum pro culpa originis, uerum etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis.

De descensu Christi ad Inferos.

Quemadmodum Christus pro nobis mortuus est & sepultus, ita est etiá credédus ad inferos descendisse. Nam corpus usq; ad resurrectioné in sepulchro iacuit, Spiritus ab illo emissus, cú spiritibus qui in carcere siue in inferno detinebantur, fuit, illisq; prædicauit, quemadmodum testatur Petri locus.

Re-

Resurrectio Christi.

Christus uere à mortuis resurrexit, suumq; corpus cum carne, ossibus, omnibusq; ad integritatem humanæ naturæ pertinentibus, recepit, cum quibus in cœlum ascendit, ibiq; residet quoad extremo die ad iudicandos homines reuertatur.

Diuinæ Scripturæ doctrina sufficit ad salutem.

Scriptura sacra continet omnia quę sunt ad salutem necessaria, ita ut quicquid in ea nec legitur neq; inde probari potest, licet interdum à fidelibus, ut pium & cõducibile ad ordinem & decorum admittatur, attamen à quoquã non exigendũ est, ut tanquam articulus fidei credatur, & ad salutis necessitatem requiri putetur.

Vetus Testamentum non est reijciendum.

Testamẽtum Vetus, quasi Nouo cõtrarium sit, non est repudiandũ, sed retinendum, quãdoquidem tam in ueteri quàm

quàm in nouo per Christũ, qui unicus est mediator Dei & hominum, Deus & homo, æterna uita humano generi est proposita. Quare non sunt audiendi, qui ueteres tãtum in promissiones temporarias sperasse confingunt.

Symbola tria.

Symbola tria, Nicenũ, Athanasij, & quod uulgo Apostolicum appellatur, omnino recipienda sunt. Nam firmissimis diuinarum scripturarum testimonijs probari possunt.

Peccatum Originale.

Peccatum originis non est (ut fabulantur Pelagiani, & hodie Anabaptistę repetũt) in imitatione Adami sitũ, sed est uitium & deprauatio naturę cuiuslibet hominis ex Adamo naturaliter ꝓpagati, qua fit ut ab originali iustitia, q̃ longissime distet, ad malum sua natura propendeat, & caro semper aduersus spiritũ cõcupiscat: unde in unoquoq; nascentium, iram Dei atq; damnationẽ meretur. Manet etiam in renatis hęc naturæ

Anshelmus Carentia iustitiæ originalis debitæ inesse.

turæ deprauatio, qua fit ut affectus carnis, græcè φρόνημα σαρκὸς, quod alij sapientiam, alij sensum, alij affectũ, alij studiũ uocant, legi Dei nõ subijciatur. Et quanquam renatis & credentibus nulla propter Christum est condemnatio, peccati tamen in seseratione habere concupiscẽtiam fatetur Apostolus.

De libero arbitrio.

Absq; gratia Dei, quæ per Christum est, nos præueniente ut uelimus, & cooperante, dum uolumus, ad pietatis opera facienda, quę Deo grata sint et accepta, nihil ualemus.

De Gratia.

Gratia Christi, seu spiritus sanctus qui per eundẽ datur, cor lapideum aufert, et dat cor carneũ. Atq; licet ex nolentibus quæ recta sunt, uolẽtes faciat, & ex uolentib. praua, nolentes reddat, uolũtati nihilominus uiolẽtiã nullam infert. Et nemo hac de causa, cum peccauerit, seipsum excusare potest, quasi nolens aut coactus peccauerit ob eam

ob cauſam accuſari non mereatur aut damnari.

De hominis iuſtificatione.

Iuſtificatio ex ſola fide Ieſu Chriſti, eo ſenſu quo in Homilia de iuſtificatione explicatur, eſt certiſsima & saluberrima chriſtianorum doctrina.

Opera ante iuſtificationem.

Opera quæ fiunt ante gratia Chriſti, & Spiritus eius afflatum, cum ex fide Ieſu Chriſti non prodeant, minime Deo grata ſunt. Neq; gratiam (ut multi uocant) de congruo merentur. Imo cum non ſint facta ut Deus illa fieri uoluit & præcepit, peccati rationem habere non dubitamus.

Opera Supererogationis.

Opera quæ Supererogationis appellant, non poſſunt ſine arrogantia & impietate prædicari, nam illis declarant homines non tantum ſe Deo reddere quæ tenentur, ſed plus in eius gratiam facere quàm deberẽt: cum aperte Chriſtus dicat, Cum feceritis omnia quæcunq;

cunq; præcepta ſunt uobis, dicite: Serui inutiles ſumus.

Nemo præter Chriſtum eſt ſine peccato.

Chriſtus in noſtræ naturæ ueritate, per omnia ſimilis factus eſt nobis, excepto peccato, à quo prorſus erat immunis, tum in carne tum in ſpiritu. Venit ut agnus abſque macula eſſet, qui mundi peccata per immolationem ſui ſemel factam tolleret: & peccatum (ut inquit Ioannes) in eo non erat. ſed nos reliqui etiam baptizati, & in Chriſto regenerati, in multis tamen offendimus omnes, & ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt.

De peccato in ſpiritum ſanctum.

Non omne peccatum mortale poſt

baptiſmum uoluntarie perpetratum, eſt peccatum in ſpiritum ſanctum & irremiſsibile: proinde lapſis à baptiſmo in peccata, locus pœnitẽtiæ non eſt negandus. Poſt acceptum ſpiritum ſanctum poſſumus à gratia data recedere atq; peccare, denuoq; per gratiam Dei reſurgere ac reſipiſcere. Ideoq; illi damnandi ſunt, qui ſe quamdiu hic uiuant, amplius non poſſe peccare affirmant, aut uere reſipiſcentibus pœnitentiæ locum denegant.

Blaſphemia in ſpiritum ſanctum.

Blaſphemia in ſpiritum ſanctum, eſt cum quis uerborũ Dei manifeſte perceptam ueritatem, ex malitia & obfirmatione animi, conuicijs inſectatur, et hoſtiliter inſequitur. Atq; huiuſmodi, quia maledicto ſunt obnoxij, grauiſsimo ſeſe aſtringunt ſceleri. Vnde peccati hoc genus Irremiſsibile à Domino appellatur, & affirmatur.

De

De prædestinatione & electione.

Prędestinatio ad uitam, est ęternum Dei propositum, quo ante iacta mundi fundamẽta suo consilio, nobis quidem occulto, constanter decreuit eos quos elegit ex hominum genere, à maledicto & exitio liberare, atq; ut uasa in honorem efficta, per Christum ad æternam salutem adducere: unde qui tam prędaro Dei beneficio sunt donati, illi spiritu eius, oportuno tempore operante, secundum propositum eius uocãtur, uocationi per gratiam parẽt, iustificantur gratis, adoptantur in filios, unigeniti Iesu Christi imagini efficiuntur conformes, in bonis operibus sancte ambulãt, & demum ex Dei misericordia pertingunt ad sempiternam felicitatem.

Quemadmodum prædestinationis & electionis nostræ in Christo pia cõsideratio, dulcis, suauis, & ineffabilis cõsolationis plena est uere pijs, & his qui

sentiunt in se uim spiritus Christi, facta carnis & membra quæ adhuc sunt super terram mortificantem, animumq; ad cœlestia & superna rapientem, tum quia fidem nostram de æterna salute cõsequenda per Christum, plurimum stabilit atque confirmat, tum quia amorem nostrum in Deum uehementer accendit: Ita hominibus curiosis, carnalibus, & spiritu Christi destitutis, ob oculos perpetuo uersari prædestinationis Dei sententiam, perniciosissimum est præcipitium, unde illos diabolus pertrudit uel in desperationẽ, uel in æque pernicioſam impurissimæ uitæ securitatẽ. Deinde licet prædestinationis decreta sunt nobis ignota, promissiones tamen diuinas sic amplecti oportet, ut nobis in sacris literis generaliter propositæ sunt: & Dei uoluntas in nostris actionibus ea sequenda est, quàm in uerbo Dei habemus diserte reuelatã.

Tantum

Tantum in nomine Christi sperandæ est æterna salus.

Sunt & illi anathematizandi qui dicere audent, unumquemque in lege aut secta quam profitetur esse seruandum, modo iuxta illam & lumen naturæ accurate uixerit: cum sacræ literæ tãtum Iesu Christi nomen prædicent, in quo saluos fieri homines oporteat.

Omnes obligantur ad moralia legis præcepta seruanda.

Lex à Deo data per Mosen, licet quoad cæremonias & ritus, christianos nó astringat, neque ciuilia eius præcepta in aliqua Republica necessario recipi debeant, nihilominus ab obseruantia mandatorum quæ Moralia uocantur nullus quantumuis christianus est solutus: quare illi non sunt audiendi, qui sacras literas tantum infirmis datas esse perhibent, & spiritum perpetuò ia-

ctant, à quo ſibi quæ prædicant ſuggeri aſſerunt, quanquam cum ſacris litteris apertiſsime pugnent.

De Eccleſia.

Eccleſia Chriſti, uiſibilis eſt cœtus fidelium, in quo uerbum Dei purũ prædicatur, & ſacramenta quoad ea quæ neceſſario exiguntur, iuxta Chriſti inſtitutum recte adminiſtrantur.

Sicut errauit eccleſia Hieroſolymitana, Alexandrina, & Antiochena, ita & errauit eccleſia Romana, non ſolum quoad agenda & cæremoniarum ritus, uerum in his etiam quæ credenda ſunt.

De Eccleſiæ authoritate.

Eccleſiæ non licet quicquam inſtituere, quod uerbo Dei ſcripto aduerſetur: neque unum ſcripturæ locum ſic exponere poteſt, ut alteri contradicat.

cat: quare licet ecclesia sit diuinorum librorum testis & conseruatrix, attamẽ ut aduersus eos nihil decernere, ita prę terillos nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere.

De authoritate concilorum generalium.

Generalia concilia sine iussu & uolũtate Principum congregari nó possũt: & ubi cóuenerint, quia ex hominibus constant, qui non omnes spiritu & uerbis Dei reguntur, & errare possunt, & interdum errarunt, etiam in his quæ ad normam pietatis pertinẽt: ideo quę ab illis constituũtur, ut ad salutem necessaria, neq; robur habent neq; autoritatem, nisi ostendi possint é sacris literis esse desumpta.

De Purgatorio.

Scholasticorum doctrina de purga-

torio, de Indulgentijs, de ueneratione & adoratione tum Imaginum tum reliquiarum, necnon de inuocatione sanctorum, res est futilis, inaniter cõficta, et nullis scripturarum testimonijs innititur, imo uerbo Dei pernicioſe contradicit.

Nemo in Ecclesia ministret nisi uocatus.

Non licet cuiquam sumere sibi munus publice prædicandi, aut administrãdi Sacraméta in Ecclesia, nisi prius fuerit ad hæc obeunda legitime uocatus, & missos existimare debemus, qui per homines, quibus potestas uocandi ministros atq; mittendi in uineam Domini publice cõcessa est in ecclesia, cooptati fuerint & asciti in hoc opus.

Agendum est in ecclesia lingua quæ sit populo nota.

Decentissimum est & uerbo Dei maxime

xime congruit, ut nhil in eccleſia publice legatur aut recitetur lingua populo ignota: Idq; Paulus fieri uetuit, niſi adeſſet qui interpretaretur.

De Sacramentis.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſacramentis numero pauciſsimis, obſeruatu facillimis, ſignificatione præſtantiſsimis, ſocietatem noui populi colligauit, ſicuti eſt Baptiſmus & Cœna Domini.

Sacramenta non inſtituta ſunt à Chriſto ut ſpectarentur aut circumferrentur, ſed ut rite illis uteremur: & in his duntaxat qui digne percipiunt, ſalutarem habent effectum, idq; non ex opere (ut quidam loquuntur) operato, quæ uox ut peregrina eſt & ſacris literis ignota, ſic parit ſenſum minime pium, ſed admodum ſuperſtitioſum: qui uerò indigne percipiunt, damnationẽ (ut inquit Paulus) ſibijpſis acquirunt.

Sacramēta q d! Sacramenta per uerbum Dei institu ta, non tantum sunt notæ professionis christianorum, sed certa quædam potius testimonia & efficatia signa gratię, atque bonæ in nos uoluntatis Dei, per quæ inuisibiliter ipse in nobis operatur, nostramq́ fidem in se nō solum excitat uerum etiam confirmat.

Ministrorum malitia non tollit efficatiam institutionum diuinarum.

Quamuis in ecclesia uisibili, bonis mali sint semper admixti, atque interdum ministerio uerbi & sacramentorum administrationi præsint, tamen cū non suo sed Christi nomine agant, eiúsque mandato & authoritate ministrēt, illorum ministerio uti licet, cum in uerbo Dei audiēdo, tum in sacramētis percipiendis: neq; per illorum malitiā effectus institutorū Christi tollitur, aut gratia donorum Dei minuitur, quoad

eos

eos qui fide & rite sibi oblata percipiunt, quę propter institutionem Christi & promissionem efficatia sunt, licet per malos administrentur.

Ad Ecclesiæ tamen disciplinam pertinet, ut in eos inquirat accusenturq; ab hijs, qui eorum flagitia nouerint, atque tandem iusto conuicti iuditio, deponantur.

De Baptismo.

Baptismus, non est tantum signum professionis, ac discriminis nota, qua Christiani à non Christianis discernuntur, sed etiam est signum regenerationis, per quod tanquam per instrumentum recte Baptismum suscipientes Ecclesiæ inseruntur, promissiones de remissione peccatorum atq; adoptione nostra in filios Dei per Spiritum Sanctum uisibiliter obsignantur, fides confirmatur, & ui diuinæ inuocatio-

nis, gratia augetur. Mos Ecclesiæ bapti zãdi paruulos & laudandus est, & omnino in Ecclesia retinendus.

De Cœna Domini.

Cœna Domini non est tantum signum mutuæ beneuolentiæ christianorum inter sese, uerum potius est sacramentum nostræ per mortem Christi redemptionis. Atque adeò rite, digne & cum fide sumentibus, panis quẽ frangimus est communicatio corporis Christi: Similiter poculum benedictionis, est communicatio sanguinis Christi.

Panis & uini transubstantiatio in Eucharistia, ex sacris literis probari non potest, sed apertis scripturæ uerbis aduersatur, & multarum superstitionum dedit occasionem.

Quũ naturæ humanæ ueritas requirat, ut unius eiusdemq; hominis corpus in multis locis simul esse nõ possit, sed

ſed in uno aliquo & definito loco eſſe oporteat, ideirco Chriſti corpus, in multis & diuerſis locis, eodem tempore, præſens eſſe non poteſt. Et quoniam, ut tradunt ſacræ literæ, Chriſtus in cœlum fuit ſublatus, & ibi uſque ad finem ſeculi eſt permanſurus, non debet quiſquam fidelium carnis eius & ſanguinis Realem & Corporalē (ut loquūtur) præſentiam in Euchariſtia uel credere uel profiteri. Hoc est corporis.

Sacramentum Euchariſtiæ ex inſtitutione Chriſti non ſeruabatur, circumferebatur, eleuabatur, nec adorabatur.

De unica Chriſti oblatione in cruce perfecta.

Oblatio Chriſti ſemel facta, perfecta eſt redēptio, propitiatio & ſatiſfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tam originalibus quàm actualibus: neque præter illam unicam eſt ulla alia

Vnica oblatio consummauit sanctos.

pro peccatis expiatio. Vnde Missarum sacrificia, quibus uulgo dicebatur, sacerdotem offerre Christum in remissionem pœnæ aut culpæ pro uiuis & defunctis, figmenta sunt, & pernitiosæ imposturæ.

Cœlibatus ex uerbo Dei præcipitur nemini.

Vnusquisque habeat vxorem.

Episcopis, presbyteris & diaconis non est mandatum ut cœlibatum uoueant: neque iure diuino coguntur matrimonio abstinere.

Excommunicati uitandi sunt.

Excommunicatio.

Qui per publicam Ecclesiæ denuntiationem rite ab unitate ecclesiæ præcisus est & excommunicatus, is ab uniuersa fidelium multitudine, donec per pœnitẽtiã publice recõciliatus fuerit, arbitrio iudicis cõpetẽtis, habẽdus est tanquam Ethnicus & Publicanus.

Tra-

Traditiones Ecclesiasticæ.

Traditiones atq; cæremonias eas-dem non omnino necessarium est esse ubiq;, aut prorsus consimiles, nam & uariæ semper fuerunt, & mutari possunt pro Regionum & morum diuersitate, modo nihil contra Dei uerbum instituatur.

Traditiones & cęremonias ecclesiasticas quæ cũ uerbo Dei non pugnant, & sunt authoritate publica institutæ atq; probatæ, quisquis priuato cõsilio uolens & data opera publice uiolauerit, utis qui peccat in publicum ordinem ecclesiæ, quiq; lędit authoritatem magistratus, & qui infirmorum fratrũ conscientias uulnerat, publice, ut cæteri timeant, arguendus est.

Homiliæ.

Homiliæ nuper ecclesiæ Anglicanæ per iniunctiones Regias traditæ atque commendatæ, piæ sunt atq; salutares,

doctrinamq; ab omnibus amplectendam continent: quare populo diligenter, expedite clareq; recitandæ sunt.

De libro Precationum & cæremoniarum Ecclesiæ Anglicanæ.

Liber qui nuperrime auctoritate Regis & Parliamenti Ecclesiæ Anglicanæ traditus est, continens modum & formam orandi, & sacramenta administrandi in ecclesia Anglicana: Similiter & libellus eadem authoritate editus de ordinatione ministrorum ecclesiæ, quoad doctrinę ueritatem, pij sunt & salutari doctrinæ euangelij in nullo repugnant sed congruunt, & eandem non parum promouent & illustrant, atque ideo ab omnibus ecclesiæ Anglicanæ fidelibus membris, & maxime à ministris uerbi, cum omni promptitudine animorum & gratiarũ actione recipiendi, approbandi, et populo Dei commendandi sunt.

De

De ciuilibus Magistratibus.

Rex Angliæ est supremum caput in terris post Christum ecclesiæ Anglicanæ & Hibernicæ.

Romanus Pontifex nullam habet iurisdictionem in hoc regno Anglię.

Magistratus ciuilis est à Deo ordinatus atq; probatus, quamobrem illi nō solum propter iram, sed etiam propter conscientiam obediendum est.

Leges ciuiles possunt Christianos propter capitalia & grauia crimina morte punire.

Christianis licet ex mandato magistratus arma portare, & iusta bella administrare.

Christianorum bona non sunt communia.

Facultates & bona christianorum non sunt communia, quoad ius et possessionem, ut quidam anabaptistę fal-

so iactant, debet tamen quisque de his quæ possidet, pro facultatum ratione, pauperibus eleemosynas benigne distribuere.

Licet christianis iurare.

Quemadmodum iuramentum uanum & temerarium à Domino nostro Iesu Christo & ab Apostolo eius Iacobo, christianis hominibus interdictum esse fatemur, ita Christianam religionem minime prohibere cesemus, quin iubete magistratu, in causa fidei & charitatis iurare liceat, modo id fiat iuxta Prophetæ doctrinam, in iustitia, in iudicio & ueritate.

Resurrectio mortuorum nondum est facta.

Resurrectio mortuorum non adhuc facta est, quasi tantum ad animũ pertineat, qui per Christi gratiã â morte peccato-

catorũ excitetur, ſed extremo die quoad omnes qui obierũt, expectanda eſt: tunc enim uita defunctis (ut ſcripturæ manifeſtiſsime teſtantur) propria corpora, carnes & oſſa reſtituentur, ut homo integer, prout uel recte uel perdite uixerit, iuxta ſua opera, ſiue præmia ſiue pœnas reportet.

Job. In hac pelle mea vide: bo C.

Defunctorum animæ neq; cum corporibus intereunt, neque otioſe dormiunt.

Qui animas defunctorum prædicãt uſque ad diem iudicij abſque omni ſenſu dormire, aut illas aſſerunt unà cum corporibus mori, & extrema die cum illis excitãdas, ab orthodoxa fide, quæ nobis in ſacris literis traditur, prorſus diſſentiunt.

Aias nõ dormire.

Millenarij.

Qui millenariorum fabulã reuocare conãtur, ſacris literis aduerſantur, et in Iudaica deliramẽta ſeſe pręcipitant.

Non omnes tandem seruandi sunt.

Hij quoque damnatione digni sunt, qui conantur hodie pernicioſam opinionem inſtaurare, quod omnes, quantumuis impij, ſeruandi ſunt tandem, cum definito tempore à iuſtitia diuina pœnas de admiſsis flagitijs luerunt.

TIGVRI
PER ANDREAM
GESSNERVM F.
Anno Domini
M. D. LIII.